

Visum itaque Nobis est, ut te ob eam familiaritatem et amicitiam, quae tibi cum illis intercedit, ad eos mitteremus, adjuncto, si tibi videretur, Sigismundo Banffy, qui item Croatis gratus esse dicitur. Hortamur itaque te, ut aliis cum prudentia labores et contendas, una cum praedicto Sigismundo Banffy, ne graventur Regnicolarum nostrorum Conventum expectare, quem etiam si nullae aliae causae nos moverent, intra breve temporis spatium vel in hoc ipso carnisprivo celebrabimus. Mittimus ad te Instructionem, ex qua copiosius intelliges, quo nam modo cum eis sit tractandum, Illud autem tuo permittimus arbitrio, utrum Sigismundus Banffy sit huic legationi secum adhibendus: et ob eam causam duplices credentiae litteras ad te misimus, quarum alteras in solius tui personam scribendas curavimus. Quod si eundem sibi adjungendum existimas, mitte statim litteras nostras ad eum descriptas, ut tecum istud officium legationis obire valeat. Mora omnis in hoc negotio est amputanda, summa vero adhibenda diligentia; ne illud Regnum pene perditum perdamus. Datum Budae feria 6. proxima post festum B. Luciae Virginis. Anno Domini 1525.

Ludovicus Rex m. p.

A tergo:

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavonie Bano, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis de Batthyan.

CXCI.

Anno 1530. die 17. Martii. Pragae.

Ferdinandus Rex Locumtenentem Bani de iis, quae ad Croatiam caeteraque sua regna defendenda suscepit, edocet.

Ferdinandus, Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundie &c., Marchio Moraviae &c. Comes Tirolis &c.

Reuerende, deuote, dilecte! Accepimus litteras vestras de profesto diui Mathie Apostoli, Quibus abunde cognouimus, que de nouissima Thurcorum Irruptione in Regni nostri Croacie partes facta scripsistis; de qua non parum dolemus.